



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LIV. Cur Christus Dominus ad redimendum orbem non aliud  
remedium, quàm mortem crucis elegerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATIO LIV.

## Cur Christus Dominus ad redimendum orbem non aliud remedium, quàm mortem crucis elegerit?

*Deus qui salutem humani generis in ligno crucis constituit. Ecclesia in Præfat. de S. Cruce.*

1.

**V** Adam (dicebat quondam Moyſes, ubi in deserto rubum ſpinoſum in monte Horeb ardentem & incombustum de longe conſpicatus eſt) *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* O Exod. 3. 3. verè magna viſio ac prodigioſa! DEUM præſentem in ardentem videre ſpinoſo; Sed nec minor eſt illa viſio eundem DEUM ac Hominem Chriſtum in monte Calvario in infami crucis patibulo intueri, trabalibus aſſixum clavis, ſpineâ redimitum coronâ, vulneribus plenum, millenis affectum contumeliis, ab omnibus deſertum, ac tandem miſerrimâ morte pro ſalute peccatricis animæ meæ contabefcentem. O viſio magna! *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam,* quare pientiffimus Dominus ac Redemptor noſter non aliud mortis genus voluerit eligere quàm crucis tormentum? Attende Oriens & Occidens, Meridies & Septemtrio, ac conſidera unâ mecum hoc cruentum ac miſerandum ſpectaculum; Ecce DEUS tuus, & vita tua pendet ante te: *Et erit vita tua quaſi pendens ante te.* Conſidera. Deut. 28. 66.

2. Rectè Eccleſia in Præfatione de S. Cruce: *Deus qui ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituiſti, & mox ſubdit rationem: Ut, unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.* Mors per arborem, ait S. Ambroſius, S. Ambroſ. & vita per crucem: per lignum venditus erat homo, inquit S. Damascenus, per lignum etiam redimi debuit; Et S. Doctor Angelicus: *Quia* S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 12. hoc genus mortis maximè conveniens erat ſatiſfactioni pro peccato S. Tho. Aq. 3. p. 9. 46. primi parentis, quòd fuit ex eo, quòd contra mandatum Dei pomum ligni veriti ſumpſit, & idèd conveniens fuit, quòd Chriſtus ad ſatiſfaciendum pro illo peccato ſeiſpum pateretur ligno aſſigi; Cui conſentit de Pall.

N.

tit & Divus Augustinus: *Contempsit, inquit, Adam preceptum, accipiens ex arbore pomum, sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit, ac reparavit pro me & te, o mi Lector! O prodigium amoris!*

- Aliam rationem insinuat Apostolus, ut nos Christus de maledicto
- Deut. 21. 23.** legis redimeret, scriptum est enim: *Maledictus omnis qui pender in ligno, quia præ omnibus aliis fontibus suspensi in cruce æstimabantur execrabiles, & à Deo maledicti ac hominibus: Christus autem in se, ac sua persona semper benedictus, reputatus est maledictus, quia personam sustinuit peccatorum, quorum delicta & execrationes in se suscepit in ligno crucis expianda; unde rursus Apostolus: Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia DEUS omnes maledictiones humani generis in illum transposuit, ut pro omnibus peccatoribus, & consequenter etiam pro me & te, o mi Lector! infame illud & execrabile subiret crucis supplicium. O prodigium iterum amoris inmensi!*
- Gal. 3. 13.**
- Mallon. de S. Sindon c. 16.** 3. Tertiam causam assignat Mallonius & alii, ut se Christus Mediatorem inter DEUM & hominem, inter cælum & terram constitueret, idè exaltatus in ligno crucis cælum inter & terram mori voluit: *Pacificans per sanguinem crucis, sive qua in terris, sive qua in cælis sunt, in qua statione crucis (ut refert S. Athanasius apud dictum Mallonium) aërem purgavit, & demonem ex aëre præcipitem egit; & quia in cruce omnia patiebantur membra, copiosa apud eum facta est redemptio, ubi SS. Martyribus exemplum præbuit fortitudinis, & omnibus Christianis patientiæ in adversis luculentum documentum. Proinde S. Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat: Cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*
- Col. 1. 20.**
- I. Petr. 2. 21.**
- Sedul. lib. 3. Carminum.** 4. Quartam causam subjungit Sedulius, ut quatuor mundi partes colligeret. Adverte hic, Lector prudens! Crux erecta seu pars ejus superior cælum respicit, & denotat quòd mitissimus Redemptor per Sanctam Crucem suam ruïnã reparaverit Angelorum, quorum numerus in dies per fideles & Electos suppletur. Pars inferior crucis limbum spectat & purgatorium, ex quo profundo lacu animas Patrum & Purgantium misericorditer eripuit. Pars dextra crucis Orientem & sinistra Occidentem signat, ex quibus terræ plagis populos collegit, & in unam coadunavit Ecclesiam; Mallonius ait: *Dextrâ collegit mundum, sinistrâ peccatores, pro omnibus enim in cruce mortuus est, & indiscriminatim omnes optat salvos facere. Et cur non & te, anime mi?*
- Mallon, loc cit,**

5. Quintam rationem adstruit S. Augustinus, quærens, cur Dominus tam cruentum ac pœnosum genus mortis elegerit? Volebant illum Pharisei, ac præsertim cives Nazareni præcipitare de monte, sed transiens per medium illorum ibat. Aliâ vice Judæi tulerunt lapides, ut jacerent in eum, sed ipse abscondit se, & exivit de templo. Tandem paratur crux, & lubentissimo eam suscipit animo. Et quare crucem? Respondet S. Pater: *Ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur, S. Aug. serm. & antiquus hostis, velut hamo crucis caperetur, ut, quos absorbuerat, evomeret, 59. de diversis, quod factum est in resurrectione Christi.*

Aliam rationem assignat idem S. Ecclesiæ Doctor: Mors Christi, inquit, signum est nostræ salutis. Noluït ergo lapidari, aut gladio <sup>S. August.</sup> percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre <sup>loc. cit.</sup> non possumus, quibus defendamur. Eligit verò crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, quâ & contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum: Sanctificatur fons baptismatis: Initiantur etiam presbyteri, & ceteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo dominicæ crucis, cum invocatione Christi nominis consecrantur. Huc usque S. Augustinus.

6. Sextò: Crucem elegit, in quo excelso ligno pati & mori voluit, ut omnia Elementa ac præsertim aëris naturam mundaret; Juvat <sup>Did. Stella in</sup> hic audire Didacum Stellam in Lucam: Sanctificaverat, inquit, Christi <sup>Lucam,</sup> flus terram pedibus suis sanctissimis eam conculcando: Aquam super eam ambulando: Et ignem, quia sanctificandus erat in specie ejus Sanctum Paracletum mittendo discipulis: Sed nunc aërem sanctificat, in aërem elevatus. In aëre mori voluit, quia commune est elementum, & sic mors ejus pro omnibus æqualiter offerebatur ex parte sua quoad sufficientiam: Cætera elementa suos dominos habent, ita quòd terra unius non sit alterius; nec fluvius unius, aut ignis non sit alterius, sed aër omnium est, & tantum habet pauper aëris, sicut dives, agricola sicut literatus; Sic etiam Christi passio pro omnibus fuit. Hæc Didacus Stella.

7. Mori denique in cruce voluit, ut Crux omnibus esset asyllum, columna fidei, anchora spei, clavis paradisi, dux cæcorum, via errantium, baculus peregrinantium, refugium tribulorum, & fons denique omnium bonorum. Ita S. Leo Papa: *Crux tua, Domine, omnium fons S. Leo Papa* <sup>S. de</sup> *benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credencibus datur virtus de serm. 8. de* <sup>Pass. Dom.</sup> *infirmirate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Olim omnes hostiæ DEO immolatæ elevabantur in sublime, unde de Aarone dicitur: *Tulit pectusculum, elevans illud coram Domino. Per Levit. 8. 28.* omnes

omnes ejusmodi hostias ac victimas veteris testamenti præsignatus fuit Christus Dominus in ara crucis in conspectu totius populi suo tempore elevandus; ut ergo omnes ejusmodi figuræ adimplerentur, simili modo in cruce voluit exaltari: in quem finem non aptius videbatur instrumentum, quàm lignum crucis ad redimendum universum mundum, *ut exaltatus à terra traheret omnia*, vel ut legit S. Chrysostomus, *omnes ad seipsum*. Hinc S. Augustinus: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*, in qua cathedra nos docuit, & etiamnum in sacris suis docet iconibus perfectionis Christianæ formulam: Profunditatem nimirum in fide, perseverantiam in longitudine, altitudinem in spe, & in latitudine charitatem, ac denique certam obtinendæ nobis veniæ fiduciam, dum caput ad nos proclinat ad osculum, brachia ad amplexum, manus perforatas ad largiendum, cor apertum ad amandum, pedes affixos ad expectandum: *Ut cum talia, prout loquitur Mallonius, pro te Christus gesserit, ut majora facere non poterit, quid te pro ejus amore facere conveniat diligenter inspicias: se totum tibi tradidit, ut totum te illi traderes. Fac hoc, & vives.*

Mallonius in  
Explicat. 5,  
Sindon,



## CONSIDERATIO LV.

De modo, quo pientissimus orbis Redemptor Christus in crucem actus fuit.

*Ubi crucifixerunt eum. Joan. 19. 18.*

I.

**A**Ttonitus hæreo, quoties attentiore mente perpendo, quòd Sacri Scriptores grande illud redemptionis nostræ opus, ac crucifixionem D. N. J. Christi tam paucis verbis complexi sint. S. Matthæus succinctissimâ utitur descriptione: *Postquam autem crucifixerunt eum*. En quomodo hic Sacer Evangelista crucifixionem Domini non quasi præsentem, sed jam præteritam enarret. S. Marcus habet: *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus*. S. Lucas ait: *Ibi crucifixerunt eum*, & S. Joannes huic cruento præfens spectaculo: *Ubi crucifixerunt eum*. Cur, obsecro, tam pauca de crucifixione

S. Matth. 27.  
35.

Marc. 15. 24.  
Luc. 23. 33.  
S. Jo. 19. 18.